



*[Faint, illegible handwriting on a blank page]*





I. N. 7.  
DISSERTATIONUM HISTORICARUM  
SECUNDA

De  
**MONARCHIS  
PERSICIS,**

Qvam  
*In Electorali Wittebergensi Academia,*

PRÆSIDE

**M. JOHANNES Lehmann /**

Namslaviensi Silesio.

*Publicæ Ventilationi sistit*

RESPONDENS


**JOHANNES SCHEDIUS,**

Torgâ-Misnicus.

*Die XXIV. Novembr. Anno Orbis Redempti*

*clō 10c LXVI.*

*Horis locoque consuetis.*



WITTEBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII.





PATRIBUS. PATRIAE. PATRIBUS. CURIAE. PATRIBUS. CI-  
VIUM. PATRIBUS. OMNIUM. BONORUM.

*VIRIS.*

*AMPLISSIMA. AUCTORITATE. VIRTUTIS. NOBILITATE. CONSILII.  
DEXTERITATE. JUDICII. GRAVITATE. JUSTITIAE. SINCERI-  
TATE. PRUDENTIAE. INTEGRITATE.*

*SPLENDIDISSIMIS.*

*INCLUTAE. REIPUBLICAE. TORGENSIS.*

**PROCERIBUS.**

*DOMINIS.*

**CONSULIBUS. PRAETORIBUS.**

**CAMERARIIS. SENATORIBUS.**

*MUSARUM. PATRONIS. BENIGNISSIMIS.*

*DOMINIS. EVERGETIS. AC. STUDIORUM. MEO-  
RUM. PROMOTORIBUS. OPTIMIS. MAXIMIS.*

*NEC. NON.*

*VIRIS. CLARISSIMIS. AMPLISSIMIS. DOCTISSIMIS. HUMANISSIMIS.  
PRAESTANTISSIMIS. AC. INFORMANDI. DEXTERITATE.  
MAXIME. CONSPICUIS.*

*DOMINIS.*

**RECTORI. CONRECTORI. CAETE-  
RIS. QVE. COLLEGIS.**

*FORTISSIMIS. SCHOLAE. PATRIAE. FULCIMENTIS.*

*DOMINIS. PATRONIS. ET. PRAECEPTORIBUS.*

*QVONDAM. SUIS. AETERNUM. SUSPICIENDIS.*

*HOC. QVIDQVID. EST. EXERCITII. ACADEMICI. DEBITAE.  
OBSERVANTIAE. ET. GRATITUDINIS. ERGO.*


*SACRUM. ESSE. VULT.*

**JOHANNES. SCHEDIUS.**

*PHILOSOPHIAE. ET. S. S. THEOLOGIAE.*


*STUDIOSUS.*





I. N. J. M. N. M. A.

§. I.



Augustam Orientis Regionem Persidem, quam à Conditore Gentis Elamo, filio SEMI, præeunte Scripturâ Sacrà, (a) *Eusebius* (b) & *Hieronimus*, (c) Elamæam, *Josephus*, (d) *Plutarchus* (e) & *Zonaras*, (f) Elymæam, *Plinius* (g) Elymaidem vocant; CYRUS fundatione Secundæ Monarchiæ, pectori brachiisq; argenteis, nec non urso arietiq; apud *Danielem* (h) præfiguratæ, augustissimam reddidit. Habuit is Patrem *Cambysen*, cujus genus antiquum magis, quàm apud Medos tùm temporis clarum fuit. Nam juxta *Herodoti* (i) à *Salmasio*, (k) restitutam *Xerxis* genealogiæ recensionem, oriundum eum, ex *Achæmene*, generosissimo illo Persâ, qui *Arbaci* Medo junctus adversus *Sardanapalum* conspiravit, seq; & suos in libertatem vindicavit, *Justinus* (l) Virum mediocrem appellat, cui hinc etiam ex gente *Persarum* tùm temporis non adeò claro viro, *Astyages* filiam suam, ne paterna maternaq; Nobilitas eadem, nepotem sibi ex filiâ nasciturum, ad res arduas suiq; perniciem aliquando stimulare posset, in matrimonium tradiderit. Hæc q; creditur fuisse causa, cur *Cyrus*, non tantum in vaticinio *Nebucadnezaris* apud *Eusebium*; (m) sed & à *Pythiâ*, *Herodoto* (n) teste, *ἄμιον* s. *Mulus* sit vocatus, dum *Cræso*, de diuturnitate regni sui *Oraculum* interroganti, sequens triste fatum prædixerat:

Ast ubi Medorum jus regni mulus habebit

Lyde tenelle pedes, illuc quâ Calculus Hermi

Creber inundat aquis, tunc aufuge, nec properanti

Ulla moram objiciat res, nec nihili esse recusa:

Comparisonem enim hanc solent explicare, quod sicuti *Mulus* nascitur *Asino* Patre ignobiliore, & *eqva* matre generosiore sic *Cyrum* è duabus Gentibus ortum, Matrem *Medam*, Regis filiam, Patrem verò *Persam* obscuriore loco natum *Medisq;* subjectum, habuisse.

A 2

§. II. No-

(a) *Jes. 21. v. 2*

*c. 22. v. 6. E*

*Zech. 32, 25*

*Dan. 8, 2.*

(b) *L. 6. Præp*  
*Evang.*

(c) *in c. 8. Dan*  
*es Qu. Ebr*

(d) *L. 1. cap. 8*  
*Antiq.*

(e) *In vit.*  
*Pomp.*

(f) *Lib. 1.*

(g) *L. 6. c. 26.*

(h) *c. 2. v. 32*  
*c. 7, 5. c. 8, 3*

(i) *in Polym.*

(k) *in Exer*  
*cit. Plinian*

*p. 1380.*

(l) *Lib. 1. c. 1*

(m) *L. 9. Præp*  
*Ev.*

(n) *in Clio.*



§. II. Nomen CYRI unde sumserit, incertum est. Nonnulli enim cum *Scaligero* (o) & Rabbiniſ quibusdam, (p) Monarcham hunc, *Cyrū* (quod *Canē* ipsis denotat) appellatū fuisse contendunt, eo quod exposito parvulo *Canis* foemina ubera praeberit, eundemque à feris alitibusque defenderit. Alii verò, qui fabulam hanc de *Cyro* à cane lactato, è nutricis nomine natam, cum *Herodoto* (q) animadvertunt, ab eadem *Pastoris* uxore, *Medorum* lingua *Spaco*, i.e. *Canis*, appellatā, Nomen id eum accepisse conſectant. Plurimi cum *Suida*, (r) ab autoritate, & tempore illo, quo per lusum inter adolescentes coevos *Κύρι* lectus, eundem *Κύρον* vocatum esse volunt. *Strabo* (s) autem illum prius *Agradat*, & postea *Cyrum* ab ejusdem Nominis amne, qui circa *Palagardas* per cavam *Perſiam* fluit, cognominatum esse tradit. Dissentiunt prorsus ab his, qui cum *Plutarcho*, (t) illum à *Sole*, quem *Perſæ* *Κύρον* appellent, nomen habere putant; eò quod ex consuetudine gentis plerique Reges in Oriente nomen à *Sole* tractum habuerint.

§. III. Adolescentiam & prima Tyrocinia nostri Principis quod spectat, in præcedenti Dissertatione occasione *Avi Aſtyagis*, ea cum jam recensuerimus, crambem coctam recoquere nolumus. Solent quidem, haud pauci recentiores Scriptores, pleraque illa, quæ de *Cyri* expositione, inque casâ *Pastorali* educatione susceptoque; cum *Aſtyage Bello*, ex *Justino* (x) & *Herodoto* (y) aliisque; allata sunt, non modò in dubium vocare; sed & tanquam jucunda lectu, fabulæ quam *Historiæ* similia censere: ducti autoritate *Xenophontis*, (z) qui *Cyrum* ab *Avo*, ob heroicam indolem liberaliter habitum regieque; educatum, & ob summam benevolentiam Regni Successorem designatum fuisse refert. Verùm enim verò, quanquam *Historiam* *Cyri* multa fabulosa, quale quid est, dum eundem nonnulli à cane, alii à cervâ, quidam ab equâ, haud pauci à vulpe aut caprâ, quemadmodum Imperii *Romani* Conditores *Romulum* & *Remum* à lupâ, nutritum esse perhibent, immixta habere non negemus; Interim tamen ob solum disensum *Xenophontis*, (α) qui nil nisi summam *Cyri* cum *Aſtyage* amicitiam crepat, aut *Ctesia*, (β) qui *Aſtyagen*, ne ulla generis propinquitate quidem junctum fuisse scribit, omnia illa, quæ de adolescentiâ & educatione *Cyri*, nec non bello contra *Aſtyagen* hujusque crudelitate in *Harpagum*, tot gravissimi Historici, *Herodotus*, (γ) *Justinus*, (δ) *Plutarchus*, (ε) *Strabo*, (ζ) *Agathias*, (η) *Constantinus*

(o) Exerc. 266.

(p) ap. Schick,  
in Tarich.  
pag. 46.

(q) in Clio.

(r) p. 535.

(s) Lib. 15.

(t) in vit. Ar-  
tax.

(x) Lib. 1.

(y) Loc. cit.

(z) L. 1. seqq.  
Cyrus.

(α) in Cyrip.

(β) ap. Pho-  
tium.

(γ) Clio f. L. 1.

(δ) Lib. 1.

(ε)

(ζ) Loc. cit.

(η) L. de Ju-  
stin.



tinus Manasses, (θ) Orosius, (ι) Polianus, (κ) aliiq̄ve magno numero constanter referunt; inter fabulas indiscriminatim relegare nimis violenter sanè est nodos secasse, non solvisse. Nam qvomodo sola autoritas Xenophontis, cujus sententiam ipso *Reineccio* (λ) teste, nemo præter *Zonaram* è Veteribus secutus est, tot præstantissimorum Scriptorū fidem labefactare possit, non video, præsertim cum satis constet, qvod jam suo tempore *Plato* (μ) Cyri pædiæ isti Xenophontis fidem prorsus derogarit, & uti apud *A. Gellium* (ν) legimus, *Cyrum* qvidem, navum & strenuum virum falsus sit, *παιδείας δ' ὄντι ὀρθῶς ἠφθαι τὸ πάραπαν*. Qvemadmodum autem præter Platonem *Ansonius*, (ο) *Procopius*, (π) nec non *Cicero* (ρ) aliiq̄; Xenophontem *Κυρῶν παιδείων* suam, non tam ad veritatis normam, qvàm formam & effigiem justii Imperii, exegisse, testantur; ita *Ctesiam* incredibiliū stolidarum fabularum colluviem in Historiam infarsisse, *Strabo* (σ) & *Plutarchus* (τ) inter alios itidem animadverterunt; ut hac ratione illorum autoritas, nostræ sententiæ nihil prorsus derogare possit.

§. IV. Ipsam itaq; Historiam nunc ut persequamur, *CYRUS* ab Harpago adversus *Astyagen* instigatus, Somnioq̄; idem aggredi iustus, antelucano tempore egressus, juxta præmonitionem Somnii primò occurrentem Persam (*Sybaris* ei nomen erat) cœptis socium assumit, iterq̄; *Persepolim* capiens, populum illic jubet præstò cum securibus adesse, silvamq̄ve viæ circumdatam excidere. Quo gnaviter præstito, eosdem posterâ die ad paratas epulas invitatur; Pòst convivio hilariores percontatur, utrius vitæ sortem malint, hesterni laboris an præsentium epularum. Præsentia omnibus laudantibus, excipit *Cyrus*, laborem illos perpetuum manere sub *Medis* fervientes, delicias se secutos. Quibus incitati Duce *CYRUM*, *Medos* hostes pronunciantes, bellum subitò *Astyagi* inferunt. Qvòd ubi *Harpagus* cognovit, statim etiam copias, quibus præerat, omnes *Cyro* per deditionem tradit, Regisq̄; sui crudelitatem defectione ulciscitur. Quo factò, *Astyages* ipse contractis undiq; auxiliis, in *Persas* exercitum duxit, & repetito alacrius certamine, pulsam *Persarum* aciem paulatim cedit, ut de *Persis* jam prorsus actum fuisset, nisi matres & uxores eorum, sublatâ veste ostensisq̄; obscænis corporis, an in uteros matrum recurrere niterentur, rogantes; pudore & verecundiâ, victos in prælium repulissent. Nam repressi hac castigatione, in hostes de novo irrumpentes, quos fugerant, mox fugere

(θ) in *Syn. Hist.*

(ι) *Homest.*

(κ) *Lib. 8.*

(λ) in *Syntag Heroic.*

part. 2. p. 10

(μ) ap. *Laërtium.*

(ν) *Noct. Attic.*

(ο) in *Gr. act ad Imper Grat.*

(π) *L. 1. de Ædif. Justin*

(ρ) *L. 1. Ep. ad Q. frat.*

(σ) *L. XI pag 508.*

(τ) *Conf. Strauch. Brev. Chronol. L. 4 cap. 4. q. 1 p. 420.*



compulerunt, captoq; Astyagē ( qui ab Harpago meritis fannis ex-  
ceptus, stultissimum eum nominavit, quod aliis & non sibi Impe-  
rium acquisivisset, ) regnum à Medis ad Persas transtulerunt.

(u) cit. loc.

§. V. Quâ victoriâ obtentâ, etsi Avum Astyagen in honore sum-  
mo haberet, seseq; erga eum non ut victorē, sed ut Nepotem, prout  
Justinus (u) testatur, gereret; Crœsus tñ. Lydorū Rex Astyagis fortunâ  
miseratus, Persarumq; incrementa suspecta habens, innixus viribus  
totius Asiæ, in Cyrum se parat, eidemq; sequentia scribit: *Permit-  
timus tibi excedere regno, ut quod & initio nostrum fuerit, & ad no-  
stros fines pertineat. Neq; enim subsistes, nobis contra Te insurgenti-  
bus, neq; tantam nostram felicitatem sustinebis: Verum Cyrus ei hæc  
rescripsit: Siquidem totus mundus tibi non satis est in tanto splendo-  
re: recte nobis ista dicis. Si verò tot regionibus dominans, nostrâ etiam  
adamas: non apud te fortuna favor in certamine contra nos perma-  
nebit.* Lectis hisce, Crœsus nihilominus, misis donis immensis A-  
pollini Delphico, postquam responsum accepisset:

Κροῖσ' ὁ ἄλυν Δαβὰς μεγάλην ἄρχην καταλύσει,

Crœsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.

Hocq; non tam de suis quàm Cyri opibus intellexisset, mox relicto  
post se fluvio, quem ante se prius habuerat, in Cappadocia cum Cy-  
ro confligit; sed infeliciter: Nam, licet initio, acriter pugnârit, pau-  
lò post tamen exercitu ejus in confusionem acto, ipse turpiter ter-  
ga dedit, & Sardium urbem petiit. Quibus obsessis, viq; à Cyro ho-  
stem persequente expugnatis, in primo statim tumultu interfectus  
fuiſſet Crœsus, nisi filius ejus ab ineunte ætate mutus, postquam Pa-  
trem gladio stricto à milite quodam, ( eum Regem esse ignorante )  
invadi viderat, præ angore & impetu Spiritûs, lingvæ nodum rum-  
pens, loquendo exclamasset: *Parce miles, Rex est,* hæc q; exclamatio-  
ne effecisset, ut vivus Cyro fuerit traditus. Qui utut non multò  
post, jussu Cyri Rogo impositus esset, mox tamen iterum, quod jam-  
jam comburendus, ter Solonem miserabili voce inclamasset, & ob  
id à Cyro interrogatus, se sapientissimi Solonis moniti, ( ne ante fi-  
nem vitæ se quis beatum prædicaret ) recordari respondisset, serva-  
tus & summo loco à Cyro habitus est.

§. VI. Postquam verò ita Lydos cumq; his simul omnes, qui  
suppetias tulerant, in Asiâ inferiori & superiori populos, per Har-  
pagum & Mezarum domuisset, exercitum contra Babylonios duxit.

Nam



Nam quanquam plurimi Recentiores Historici, præeunte Justino, Cyrum Regnum Babylonæ ante devictum Cræsum occupasse velint; nos tamen Scripturæ S. (x) vestigiis inhærentes, id ipsum potius post Lydorum Regis debellationem contigisse, cum Herodoto, Eusebio, C. Julio Solino, aliisque summæ autoritatis Viris censemus. Confectionem autem ipsam cum Dario Medo, ex Herodoto & Beroso genuino, cum jam antea in præcedenti Dissertatione exposuerimus, tædiosâ illius repetitione supersedemus, pauca de ipsâ expugnatione munitissimæ Urbis Babylon tantum subjungentes: Hanc enim victo Dario Medo inq; Borsippensium urbem fugato, mox Cyrus obsidere cœpit. Et licet institutum hoc Cyri, Poliano teste, Babylonii primùm deriserint, maximo tamen eorum damno, frustraneum id non fuisse experti sunt, quippe CYRUS stratagemate, quo Euphratis fluvium, ex parte quâ urbem interluebat, in naturalem alveum, ex quo illum antea Nitocris Regina eduxerat, reductum, ita tenuem reddidit, ut vel à mulieribus transiri posset, potentissimam urbem, tertiam Asiæ partem adæquantem expugnavit, hæcque ratione Monarchiæ primæ finem imposuit.

§. VII. Prædixit hoc ejus imperium, & quod magis mirère Cyrum nominatim expresit, Jesaias Propheta, (y) ducentis & decem annis antequam nasceretur; Quod vaticinium, notante Cyrillo, cum Cyrus legisset, ad eum miratus fuit, ut maximâ cupidine exequendi quæ legerat, correptus, non modò Judæos liberos dimiserit; vasa, quæ auferens à Templo Rex Nebucadnezar ad Babyloniam usque portaverat, revehenda iisdem tradiderit; maximosque sumptus ad templum DEI Hierosolymitanum reedificandum suppeditavit; sed & edoctus à Daniele, Theodoro teste, Theologiæ mysteria; in suis regionibus insuper illum solum esse DEUM universorumque Dominum, qui à Judæis coleretur, palam confessus fuerit. Quantâ laude imperium administravit, vel ex eo innotescit, quod in communi à Persis PATER sit appellatus. Extitit erga subditos clemens & justus; erga doctos humanus & benevolus, erga milites, (quorum omnium nomina exactè eum tenuisse Solinus & Plinius referunt) beneficus & liberalis; erga benè meritos gratus & verè paterno animo.

§. VIII. Laudabiliter verò omnibus gestis, & etiam feliciter bellis singulis peractis, infelicem sibi que fatalem in Massagetarum expeditionem, frustra id dissvadente Cræso suscepit. Nam etsi initio victor

(x) Jer. 25. v. 26.  
In Chronic.  
Cap. 7.

(y) Cap. 44.  
Joseph. L. II.  
c. 1. Ant.



Etor Reginae Tomyridis, filium Spergabisen, astu oppresit, paulò  
 post tamen & ipse pari insidiarum fraude circumventus, cum du-  
 centis millibus Persarum occubuit. Quo mortis genere verò diem  
 suum obierit, variæ circumferuntur opiniones. Diodorus Siculus  
 à nominatâ Scytharum Regina, eum cruci affixum scribit: Justinus  
 verò & Herodotus, aliq; interfecti in memorato bello Cyri caput  
 Tomyridem amputasse, inq; utrem humano sanguine repletum,  
 cum hac crudelitatis exprobratione coniecisse, *Satiare sanguine,  
 quem sitiisti, cuiusq; semper insatiabilis fuisti*, testantur; Et augere  
 videtur asserti hujus veritatem *Philostratus*, dum ab Orphei capite  
 in Lesbo hoc ei de vitæ suæ exitu, redditum Oraculum refert: *Κύρε  
 τῷ ἐμῷ καὶ σαί*. Mea, ô Cyre, tua: Nam sicuti Orpheus à mulieribus  
 Thracensibus discerptus, ita etiam à Scythicâ foeminâ Cyro caput  
 ex hac prædictione, resectum esse putant. Diversam tn. ab his senten-  
 tiam fovet Ctesias, (γ) qui in prælio adversus Derbices, eum accepto  
 vulnere ex eqvo cecidisse, moxq; à suis in castra relatum, mortuum  
 esse scribit. Sed è diametro omnibus cõtrariatur Xenophon, (δ) dum  
 illum quietè & placidè suum diem, postquam filium Cambysen Suc-  
 cessorem regni constituisset, obiisse commemorat. Quod testimo-  
 nium Xenophontis, qui in Cyri laudibus supra modum occupatus  
 sæpissimè Historiæ leges transgressus est, parùm moraremur, nisi  
 tam sæpè apud tot gravissimos Scriptores, Strabonem, Arrianum,  
 Plutarchum, Curtium, Plinium, Solinum, Zonaram, Eustathium,  
 Stephanum, aliosq; mentio fieret, reperti sepulchri corporisq; CY-  
 RI apud Passargadas cum hac sepulchrali inscriptione: *Heus tu ho-  
 mo, ego Cyrus sum, Cambysis filius, qui Persis Imperium paravi, omniq;  
 Asiae Regnator fui. Itaq; ne mihi, tantillum telluris, quâ corpus meum  
 obtegatur, invideas rogo*. Si nunc Tomyris cum Cyro tam crudelis-  
 simè egit, ejusq; exercitum ita penitùs delevit, ut ne nuncius quidè,  
 uti *Justinus* refert, hujus tantæ cladis superfuerit, quomodo corpus  
 in Persiâ sepultum ostendi potuerit, cum non videamus, Genus  
 mortis hujus nunquam satis laudandi Monarchæ, inter incertissima  
 in hâc Cyri Historiâ reponimus. Quemadmodum autem circa mor-  
 tem, ita etiam de annis vitæ inter Scriptores disidiû est maximum.  
 Nam licet cum Luciano (ε) haut pauci, eum ad centesimum annum  
 pervenisse velint, plurimi tn. alii cum *Cicerone* (ζ) LXX. tantùm ei-  
 dem tribuunt; Quicquid de hoc dissensu sit, triginta annos eum im-  
 perasse, omnes ferè Historici cû conveniant, extra dubiû ponimus.

(γ) ap. Pho-  
tium.

(δ) L. 8. Pad.

(ε)  
L. de Macrob.

(ζ)  
L. 1. de Divin.

§. IX. Cy-





§. IX. Cyro itaq; rebus humanis exempto, CAMBYSES optimi Patris degener filius in Imperio successit; Homo crudelis, ebriosus, libidinosus & furibundus, qui Platone (n) teste inter fœminas molliter educatus, induit mores monstro quàm homini similiore, tantoq; Patre nato prorsus indignos. Nam omni scelere majora sunt, quod non tantùm Fratrem Smerdin, quem per quietem Solio Regio insidentem videns, affectati regni suspectũ habebat, per Prexaspen clam interficiendum curavit; sed & Meroën Sororem, incestuoso conjugio inquinatam, ictu calcis (eo quod viso cane ab alio cane, adversus leonem, adjuto, lachrymis, nullum occisi fratris ultorem extitisse in memoriam sibi revocasset) interfecit. Cui terræ immanitati addi possunt & aliæ non ultimæ notæ insanix, quibus scelera sceleribus cumulans erga subditos, & præprimis amicissimum Prexaspen (cujus operâ tñ. antea in fratre necando abusus fuerat) sæviit. Nam huic ob reprehensam temulentiam quò ostenderet, etiam sibi inter pocula mentem integram esse, oculosq; & manus in suo officio manere, vocatum ad se Filium ejus, sagittâ per cor missâ, ebrius & quasi ludens interemit. Proximo die similiter, duodecim Nobiles Persas, ob nullius ferè momenti causâ trucidavit, imò ipsum Crœsum honesta & utilia svadentem interfici jusfit. Inter innumera facinora alia, unicum hoc justitiæ exemplum (plenum tñ. furore & horribili crudelitate) eam edidisse cum Herodoto, Valer. Maximus aliiq; censent; dum n̄p. corrupto pecuniâ Judici Sisamni, ob injustè latam sententiam, cutem detraxit, eamq; in lora concisam Tribunali intendit, & postea filium ejus Otanem in eam sedem collocavit, atq; intuentē Patris exuvias rectè judicare, ne simili supplicio afficeretur, jusfit.

(n) L. 3. de Legib.

§. X. Rem militarem quod concernit, primum post Patris discessum bellum Amasi Ægyptiorum Regi, eò quod in matrimoniũ filiam ejus petenti, Apriis prioris Regis (quem rebellantem antehac interemerat) filiam misisset, intulit; defunctiq; jam in ipso ejus accessu, Regis Amasis cadaver effosuit, flagellavit, & per summum scelus cremavit. Captum v. Successorem illius Plammenitum, postquam ductis in ejus conspectu, liberis ad suppliciũ, eò adegisset, ut domestica mala majora esse, quàm à se fieri possent, confiteretur, vitâ donavit, inq; honore habuit. Ægypto a. subactâ, triplex bellum moliebatur quidem, sed nullo successu. Nam contra Carthaginenses susceptam expeditionem postquam irritam videret, exercitum ad Ammonios

B

monios





monios horumq; Templum expugnandum quem miserat, tempesta-  
tibus & arenarū molibus oppressum, totum totum amisit. Et eādē  
fortunā quoq; adversus Æthiopus ( quos ob vitæ longissimum spa-  
tium, Macrobios dicere solebant ) movit. Nam per invia loca tra-  
ctum coactumq; fame ad Decimationem Exercitum, postquam  
partim amisisset, partim etiam comedisset, timens ne ipse tandem  
ad sortem vocaretur, re infectâ, imò ne viso quidem hoste, cum  
paucis in Ægyptum rediit.

§. XI. Cùm autem omnem culpam hujus tantæ cladis in  
Ægyptios conjiceret, per desperationem iracundiæ furorem evo-  
mens, dirutis eorum Fanis & templis, APIM Bovem sacrum, quem  
ut Deum superstitionis gens ( prout in nuperâ Dissertatione nostrâ de  
SERAPIDE ostensum est ) venerabatur, vulneravit; moxq; Sacerdo-  
tes interfici, reliquos verò Ægyptios huic Deastro superstitionis fe-  
riantes, flagris cædi jusfit. Dum v. ita crudelissimus Tyrannus æquē  
in Deos ac homines saviret, diutiusq; in Ægypto hæreret, Patizithes  
Magus, cui Cambyfes abiens ad bellum domûs suæ curam commi-  
serat, rebellat, & Smerdem aliquem falsum, trucidato per similem, in  
Solum Regium collocat; missis in omnes regiones caduceatoribus,  
qui non ampliùs Cambyfi; sed Smerdi obediendum edicerent. Quò  
auditò, Cambyfes motûs hosce compressurus, equum furibundo si-  
milis conscendit, & gladio sponte suâ evaginato, femur læthaliter  
faucians, paucis diebus post, inter ingentes animi & corporis cru-  
ciatûs, Anno Imperii 8. Ebatanis Syriæ ( non Mediæ ) decessit, Persi-  
darumq; stirpem masculam interitu suo finivit.

§. XII. Mortuo itaq; Cambyse, Magi rem factam habebant,  
dum eâ occasione, Regnum quod Smerdis astutiâ fratris, jam inva-  
serat, penitus occupavit, idq; ipsum mitigato Tributo, & concessâ in  
triennium militiæ vacatione remisissiq; cunctis aliis quibus plebejos  
animos tangi sperabat, callidè confirmare instituit. Interim tamen,  
quia nihilominus munificentia hæc multis suspecta erat, plurimiq;  
huic repentinæ libertati causam subesse sentiebant, impostura ista  
& fraus septimo mense aditi regni statim tum prodicione Pellicis  
Regiæ *Phadimæ*, ( putativum Regem sine auribus esse narrantis; ) tum  
publicâ *Prexaspis* ( de vero Cyri filio Smerdi à se necato, ) confessio-  
ne; detecta Smerdesq; ille fictitius cum reliquis Magis, à septem  
Principibus confossus est.

§. XIII.



§. XIII. Sublatis è medio Magis, postquam conjurati illi Heroës, de forma regiminis deliberationem instituisent, inq; Darii, Monarchicum statum svadentis, verba itum esset; inter hos summæ Majestatis Candidatos prætereà convenit, ut quisquis ex eorum numero Rex futurus, ante exortum Solis adesset, & cujus equus prior hinnitum ederet, Rex fieret. Cùmq; DARIUS equus, quem Oebaris, callidus equorum domitor, antegressà nocte in loco statuto equæ commiserat, primùm hinniret, simulq; supernè cælo sereno tonaret, cœteri hinc ad terram defilientes Darium Imperatorem sunt venerati.

§. XIV. DARIUS proinde acceptum, virtute equi, regnum, ne tam in extraneum translatum, quam Cyri familiam reversum videretur, filiam ejus *Atossam* Cambysis & Magi nuptias expertam, præterq; hanc *Parmyn* Smerdis & *Pantapin* Cambysis, filias, Neptesq; Cyri, in matrimonium sibi junxit. Natus erat Patre Histaspis Persarum Præfecto, à quo hinc etiam Histaspis, ad differentiam Darii Nothi, & Codomanni, cognominatur, fuitq; miles in castris cùm Martis tum artis strenuus, amicis amicus, beneficis beneficus, præprimis verò erga Judæos (quibus restaurationem Templi & Hierosolymorum à Cambyse impeditam permisit) benè affectus. In XX. Satrapias postquam regnum deviserat, Persis tributum remissum indixit, obq; id ipsum, non PATRIS ut *Cyrus*, nec DOMINI vel TYRANNI ut *Cambyses*; sed QUÆSTORIS seu Institutoris Nomen reportavit.

§. XV. Bellum primum, annotante *Herodoto*, (θ) pro Silofonte (θ) *Lib. 3.* contra Samios suscepit. Secundum Babylonis intulit, inq; eo operâ & stratagemate Zopyri, qui sibi aures & labia præsciderat, seq; hoste Darii coram Babylonis simulaverat, urbem rebellem Babylon non tantùm expugnavit, sed & demolivit & 3000 proceres babylonicos patibulo affixit. Tertium cum Scythis, quos septingentis millibus hominum aggressus, gesit. Sed parum hinc minas ejus curarunt, quin potius per contemptum eidem *AVEM*, murem, ranam & paucas sagittas miserunt, muneribusq; hisce Gobryâ interprete, hæc innuere voluerunt: Vos Persæ, nisi ut *AVES* subvoletis in *Cælum*, aut ut *MURES* subbeat *terram*, aut ut *RANÆ* insiliatis in *paludes*, quarta via non erit è manibus nostris elabendi; sed his *sagittis* conficiemini. Quæ interpretatio, ut ut Palpones aliud Regi persvaderent, Darium tn. vehementer movit; Cùmq; inopiâ frumentariæ rei maximâ laboraret, formidans, ne sibi reditus interrupto Ponte Istri fluminis, quem



quem parari iusserat, negaretur, celerius quam felicius ex terrâ hostili sese abripere, omisisq; octoginta millibus hominum exercitum reducere coactus est.

§. XVI. Quartâ expeditione Iones, qui svasu Histiaei ab eo defece- rant, debellavit, & quia Athenienses illis in auxiliû venerant, cumq; Histiaeo & Aristagorâ, non tantum Byzantium, Lydiam, multaq; alia loca vastarant; sed & Sardes exusserant, Darius hinc Histiaei defectionem & Atheniensium conatûs intelligens, contra illum bellum continuare decrevit, adversus hos verò, sagittâ in aërem missâ, precabatur: *ô Jupiter contingat mihi, ut Athenienses ulciscar!* Ministro insuper præcepit, ut sibi quotidiè appositâ cœnâ ter ingeminaret, *HERE, memento Atheniensium.* Cumq; intra sexennium Ionicas urbes finitimosq; populos in pristinam servitutem redegisset, tandē Athenienses, missis antea per universam Græciâ Legatis, ut terram & aquam (quæ signa spontaneæ deditiois erant) peterent, ingenti exercitu invasit. Sed primâ classe circa montē Athon disiectâ, postquam de novo Datim & Artaphernem cum sexies centenis hominum millibus misisset, memorabilis illa jamq; Plutarchi tempore à trecentis Historicis descripta pugna, in campis Marathoniiis contigit, quâ Miltiades decem vel undecim millibus Græcis se opponens sexcentis millibus Persis, horum ducenta millia cecidit.

§. XVII. Quo vulnere accepto, Darius magis exasperatus, omnibus gentibus Persico Imperio subiectis, novum militem & longè majorē imperavit. Triennio autem in hac exactioe infumto, cum triginta dierum morbo detentus fuisset, in ipso apparatu supremū diem clausit, & ultionem de Græcis filio Xerxi, ex Atossâ Cyri filiâ genito, reliquit. Qui, imperio potitus, luxui assevit, & multa non tantum in Deum impiè; sed & in homines crudeliter designare non dubitavit. Homo corpore formosus, sed animo turpissimus, qui voluptatem pro summo Bono habens publico edicto, novæ voluptatis repertori præmium constituit, quiq; stolidâ insolentiâ & superbiâ, veluti naturæ Dominus, Hellespontum ponte sternere, montem Athon in planum deducere, Isthmum perfodere, Mari compedes injicere ac stigmata inurere iussit, cœloq; tenebras minatus fuit. Postquam rebellem Ægyptum recuperasset, adversus Græcos bellum decrevit, præparatisq; per quinquennium omnibus ad illud necessariis innumerabilem ferè exercitum in Græciam duxit; antequam tamen  
copiis



copiis pedestribus Græciam intraret, ad Thermopylas statim Leonidâ Duce à trecentis Spartanis (qui ante pugnam pransi erant, tanquam apud Inferos cœnaturi) unâ nocte, viginti millia Persarum ei interfecti sunt. Ad Artemisium autem in pugna navali, utut similiter Xerxiana classis ingentem cladem experta sit; quia tamen & Græci multas naves amiserunt, Athenas reliquerunt, & ad Salaminem confugerunt, æquali hinc manu & fortunâ dimicatum esse plurimi conjectant. Interim non multò post ad fretum hoc Salaminium, tali strage, virtute Themistoclis, Xerxes est refutatus, ut de belli successu desperare cœperit, & relicta potissimâ parte exercitûs sub Mardonio, se in fugam dederit trepidusq; scavâ piscatoriâ Hellepontum trajicere coactus sit. Et quanquam postea Mardonius ad Plataas de novo sese Græcis opposuerit, non modò tamen ipse interfectus, sed & ejus exercitus ita profligatus est, ut ex triginta myriadibus vix quinque personæ aufugerint. Rebus igitur Xerxis tam sinistris, terror antea gentium etiam apud suos vilis haberi cœpit, tandemq; de die in diem contemptior factus ab *Artabano* patruo suo confossus est.

§. XIIII. Hujus cædem vindicavit Filius natus minimus ARTAXERXES, qui *Artabani* insidiis ereptus, postquam singulari stratagemate ipsum Insidiatorem trucidasset, Regnum Persarum capessit. Cognominatur *μακρόχειρ* seu Longimanus, vel quod teste *Plutarcho*, (i) dexteram manum sinistra longiorem habuerit; vel quod juxta *Strabonem* (x) rectus stans manibus genua contingere potuerit; Laudatissimus aliàs fuit Imperator, qui amplissimam pulcherrimamq; corporis formam virtute heroicâ exornavit, quiq; mansuetudinem & humanitatem suam singularem declaravit, cum in aliis rebus plurimis, tum erga *Themistoclem* Atheniensem, quem Lacedæmoniorum invidiâ è Græcia expulsus, non modò recepit, sed & prudentiâ ejus perspectâ tanti fecit, ut eum aliquot civitatibus, (Magnesiâ nempe in Panem, Lambsaco in vinum Mintho in Obsonia, Percotto & Parepscepsi in stratum & vestem) donârit. Præprimis verò erga Judæos Patronum se talem exhibuit, quo, judice *Melanchthone*, (λ) nullus unquam, in toto genere humano Monarcha erga Ecclesiam Dei munificentior extiterit. In Regno, per tot bella tum temporis admodum turbulento, constituendo

(i) *In vit. Artaxerx.*

(x) *Lib. 15.*

(λ) *in Chron. L. 2. p. 134.*



maximè fuit occupatus; Ægyptum rebellem repulsis atheniensibus, sub pristina servitutis Jugum redire coëgit; Interim à Cimone classe oppugnatus, metu Cypri amittendæ fœdus cum atheniensibus iniit, & maris Imperio illis permissio, etiam Græcas per Asiam colonias liberas esse jussit. Addit *Ctesias*, quod & Bactriani, imò tandem & ipse Megabyzus, militiæ suæ præfectus, cum filio zopyro, ab eo defecerint, quibus tamen omnibus feliciter in ordinem redactis, tandem diem suum obierit.

§. XIX. Quo defuncto XERXES filius ejus è Damaspia Conjuge legitime natus, successit, qui tamen luxui deditus, quadragesimo ab inauguratione die statim à Fratre *Sogdiano*, ebrius & crapulam edormiens, oppressus & interfectus est. Invaserat hinc regnum quidem ad tempus SOGDIANUS, sed Parricidam Persæ valdè exosi, post septem Imperii sui menses, insidiis captum, interfecerunt, Cidarimq; DARIO (qui privatus adhuc *Ochus* vocabatur,) imposuerunt. Ex illegitimo matrimonio pellice *Cosmartidine* (non *Pellaca* prout ridiculè nonnulli cum *Bizaro* Nomen appellativum cum proprio confundunt) quia susceptus fuerat, ab Historicis hinc *Darius NOTHUS* cognominari solet. Uti è *Ctesia* aliisque colligere est, fuit admodum crudelis similemque uxorem quavis *Medea* saviolem, *Parysatis* dictam habuit; ex quâ *Articam* & *Cyrum* Juniolem inter alios sustulit. Ægyptum de novo ab eo deficientem amisit; Medos tamen rebelles, duabus expeditionibus, feliciter in ordinem redegit, Tumultuantem *Amorgem* oppressit, & initâ cum *Lacedæmoniiis* confœderatione, Urbes quas majores per Asiam possederant univasas, recepit. Tandem postquam undeviginti annos, prout cum *Diod. Sic. Eusebius* & *Scaliger* volunt, regnasset & successorem regni *ARSICAM* declarasset, *Cyro* autem sine regio nomine *Joniam* & *Lydiam* concessisset, fato functus est.

§. XX. *Articas* à Patre *Dario* Rex designatus, ob imitatam avi virtutem *ARTAXERXES*, ob insignem verò memoriam *Μνήμων* seu *MEMOR* cognominatus est. Fuerunt ei uxores *Statira*, nec non *Atossa* & *Amestris* Filia incesto conjugio adscitæ; Concubinae verò *Plutarcho* teste 360. è quibus *Justino* si fides habenda sit, filios suscepit. Legitimo a. conjugio natos habuit *Darium*, *Ariaspem*, & *Ochum*. E scemellis quinque; potissimū ab Historicis hinc inde celebratur *Atossa Amestris* (quæ postea Patris factæ sunt uxores) *Sisygambis* (quæ Fratri connubio juncta) *Rhodagune*, *Orontis* uxor & *Apame*, *Pharnabazi* Conjug. Cæterum acta ejus Politica quod spectat, fuit ingenio lentus, & avum exprimere imitando principio conatus in Congressibus se comem exhibuit, honores & Beneficia pro cujusvis dignitate unicuique prolixè tribuit, & non minus dando quàm accipiendo, gratiam ab omnibus inire studuit. Idcirco cum aliquando, ex more Persarum, Regi in viâ varia dona offerentium, inter cæteros, operarius quidam in illo temporis articulo nihil in promptu habens, ad fluvium accurrisset, ipsique aquam inde haustam manibus attulisset, adeo est eo delectatus, ut præter stolam Persicam, pateram auream & mille *Daricos* dono eidem miserit, Alium verò pauperculum insigni magnitudine ma-

(a) in Hist. Rev.  
Persic. L. 2.  
pag. 65.



Iam punicum offerentem, quod Rus bene curasset, Urbi præficiendum paravit. Interim in pœnis irrogandis admodum extitit severus, nam & hic *Diodoro Siculo* teste, Injustis iudicibus, similiter cutes detrahere & circumsubsellia expandere iussit, quo alii Iudices his insidentes, Exemplum punitæ Injustitiæ ob oculos haberent. Sic Arbacem rebellem, scortum cornicibus impositum nudum tota die per forum circumferre coëgit. Alterius verò deficientis & mendacis linguam 3. clavis configi mandavit.

§. XXI. Bellum atrox cum *Cyro* fratre, in voluntate Parentis non acquiescente, quin potius regnum contra Patris Testamentum affectante, gessit. Nam *Cyrus* tredecim millibus Græcorum & septuaginta millibus Asiaticorum ad Medorum fines pervenit; cui *Artaxerxes* circa Babyloniam cum quadringentis millibus occurrens, virtute *Clearchi* victus fuisset, (jam enim à *Cyro* vulneratus loco cesserat) nisi, *Cyro* prope oculum telo trajecto, *Tissaphernes* rem ita strenuè gessisset, ut non tantum victoriam reportarit, sed & maximam partem Exercitus *Cyri* interfecerit. Captus in illo prælio est, *Ctesias Cnidius*, Scriptor ille Persicarum Historiarum notissimus & ob mendandi scientiam maximè celebris, nec non *Aspasia* formosissima illa Fœmina, *Cyri* pellex, quam *Artaxerxes* post mortem fratris, intimè amavit, & pro Concubinâ suâ habuit. Tumultibus verò illis sedatis, Lacedæmoniorum classem per *Cononem* & *Pharnabazum* profligavit, hisque formidinem inde tantam injecit, ut de Pace per *Antalcidam* sollicitatus, è Græcis in Asia urbibus huicq; Insulis finitimis, eos cedere, cumq; Græciâ reliquâ pacem tenere imperarit. Compositis itaq; & his nec nō aliis reb; postquâ cognitâ filiorū cōtentione de regno, *Darium* successorem declarasset, eumq; abductione *Aspasia* offensum, & paulo post cum *Tiribazo* in Infidiis manifestis deprehensum, capite multasset, paulo post, ex ægritudine animi, quam ex nece filiorum *Ariaspis* & *Atsamis*, conceperat, jam senio confectus obiit.

§. XXII. Successit eidem *OCHUS* è tribus filiis natu minimus isq;ve sceleratissimus, utpote, qui sævitiâ, atrocitate Libidine & Perfidiâ omnes Tyrannos vel truculentissimos superavit. Nam vix regnum ingressus, mox regiam Principum cognatorum cæde & strage, prout *Justinus* loquitur, replevit & nulla misericordiâ motus, patrum cum Centum & amplius fratribus una die trucidavit. Præterea *Ocham* sororem eandemq; socrum vivam capite defodit, ut taceam, eundē *Ariaspem* submissis quotidie, qui eum neci crudelissimâ à Patre servari nuntiarent, ad desperationem & venenum adegisse, *Arfamen* verò per *Arpatum* *Tiribazi* filium sustulisse, paucis: tota ejus vita nisi scelerum Catalogus est. Victoriæ si quæ sunt, cæde & injuriis refertæ, nec ejus Virtuti adscribendæ sunt. Cadusios per *Darium*, qui *Justino* *Codomannus* dicitur, subegit. Post *Cyprum* rebellem in ordinem redegit. Hinc *Sidonios* & *Phaniciæ* utbes Proditione cepit totamq; *Ægyptum*, rege *Nectanebo* expulso recuperavit. Cumq; ibidem Gentis illius *DEVM APIM* ignominiosè haberet, Scelestum & impurum *Asinum* eum vocantibus *ægyptiis* respondit: at *Asinus* hic *Bovem* vestrum epulabitur, moxq; *Apim* ut olim *Cambyses* trucidavit *Asinum*q; in contumeliam *SERAPIDIS* coli præcepit. *Judæos* itidem per *Vagosen* graviter afflixit, Templum spoliavit, & quia paulo ante, *Johanna* Sacerdos, fratrem in Templo necaverat, Deo per Parricidam Parricidium,



cidium, per ambitiosum ambitionem vindicante, præprimis adversus sacer-  
dotes sævit, cumque his quam plurimos Israelitas ad Mare Caspium abdu-  
xit. Quanta avaritia extiterit, vel ex eo apparet, quod cum mos Persiæ regibus  
esset, ut quoties *Persepolin* ingrederentur, singulis Persarum mulieribus aureo  
muneri daretur, eò nunquam accessit, ne quid elargiri cogereetur.

(b) L. X. c. 3.


§. XXIII. Supra enumeratis verò populis subactis, divite onustus prædâ,  
cum in Persidem redisset, ob asperitatem nimiam moresque sanguinarios à  
*Bagoâ* militum Præfeto, per Medicum quendam datâ potionem medicatâ in-  
teremptus est. ejusque Cadaver, *Æliano* teste, felibus objectum & ossa (expro-  
brandæ crudelitatis, quam in *Apim* ægyptiorum Deum commiserat, ergo) in  
*Arsæ* excepto, in quem quod in se non poterat *Bagoas* Imperium transtulit.  
Sed cum quietum non sineret Eunuchum illum conscientia, sed Patrem vin-  
dicaturam olim timeret Regis adolescentiam, eodem veneno & huncce Impe-  
ratorum ARSEN triennio post necavit, & plerosque regis stirpis sustulit. Unus  
supererat *Sisygambris* filius *Ochi* ex Sorore Nepos quem sibi amicum & apud  
omnes fortitudinis laude clarum Regem fieri curavit. Sed ex consuetudine  
illa Parricidii committendi cum & hunc vix iniatum veneno tentasset, co-  
gnito dolo, venenum quod præparaverat, ebibere coactus ab eo est.

§. XXIV. Nomen Principis hujus antequam ad Imperatoriam dignita-  
tem eveheretur, erat CODOMANNUS, sed Rex constitutus, *DARII* nomine  
honoratus est. Fuit vir prudens & circumspectus, qui imprimis in bello adver-  
sus *Cadusios* gesto, magnam fortitudinis laudem, privatus adhuc sibi pepere-  
rat. Interim superbus itidem & maximè fastuosus; hinc enim se Regem Re-  
gum, & Consanguineum Deorum vocabit; *Alexandrum* verò famulum suum, insa-  
nientem *Philippi* adolescentulum,erberibus puerilibus cedendum; cui ob id et-  
jam, per contemptum, dono misit, *Virgam*, quâ tanquam Puer ferociens sit casti-  
gandus: *Pilam*, quâ potius ludere quam arma tractare deberet: *Massam auri*,  
quâ ad tale bellum cum potentissimo Persarum Rege ineundum, opes mace-  
donum nullas esse insinuavit. Vestibus præterea fuit levis, nec sine omine,  
non Persico sed Macedonum habitu, gavisus est. Luxui præterea deditissimus  
vixit & pro Consuetudine Persicæ Gentis pessimâ, germanam sororem duxit,  
pellicesque, trecentas & sexaginta aluit.

§. XXV. Cæterum Regnum adeptus, Asiam imprimis contra Macedo-  
num IncurSIONES munivit; sed frustraneo conatu. Creverat n. jam in *Darii* per-  
nitiam contemptus *Philippi* adolescentulus, qui parvo Exercitu eum non  
multo post aggressus & tribus Præliis (quorum expositionem dilucidiorum,  
ob dolendam præscriptæ chartæ angustiam sequenti dissertationi gestis  
quæ *Alexandri Magni* reservamus) feliciter vicit, debellavit, eoque

Præfectorum suorum *Bessi* & *Nabarzanis* Conspiratio-  
ne, occiso; totum ejus Imperium à Persis  
ad Græcos transtulit.

SOLI DEO GLORIA!





✓  
00 A 6436

ULB Halle 3  
004 931 300  



KD 18












B.I.G.

Farbkarte #13



69

N. 7.  
 M HISTORICARUM  
 CUNDA  
 De  
**ARCHIS**  
**SICIS,**  
 Quam  
*Wittebergensi Academia,*  
 ÆSIDE  
**JONE Lehmann /**  
 aviensi Silesio.  
*ventioni sistit*  
 PONDENS  
**S SCHEDIUS,**  
 â-Misnicus.  
*abr. Anno Orbis Redempti*  
*loc LXVI.*  
*coque consuetis.*

TEBERGÆ,  
 HÆI HENCKELII.

